

EPISTULA LEONINA

LXXIV

PERIODICUM LATINĒ SCRIPTUM,
 QUOD ĒDITUR
 E DOMO EDITORIĀ INTERRETIALI
 CUI NOMEN EST
LEO LATINUS



<http://www.leolatinus.com/>

N.B.! EPISTULAS LEONINAS ACCIPIS **GRATIS** ET **SINE ULLĀ OBLIGATIONE**. NAM LEO LATINUS PUTAT HOMINIBUS LATINAM LINGUAM DISCENTIBUS AUT DOCENTIBUS CORDI ESSE VERBA LATINA. SI TAMEN TALES EPISTULAS ACCIPERE NON VIS, RESCRIBE HOC NOBIS: TUM STATIM NOMEN TUUM EX INDICE ACCEPTORUM TOLLEMUS.

HŌC TEMPORE DUO FERĒ MILIA HOMINUM LATINĒ DOCTORUM ACCIPIUNT EPISTULAS LEONINAS ELECTRONICĒ MISSAS. EPISTULAS LEONINAS I-LXXI INVENIES IN INTERRETI SUB HAC INSCRIPTIONE, QUAE SEQUITUR:

<http://ephemeris.alcuinus.net/leonina/>

MAXIMĒ ID CURAMUS, UT COPIAM VERBORUM LATINORUM CONVENIENTER AUGEAMUS ET TEXTŪS MODERNOS CUIUSVIS ARGUMENTI QUAM OPTIMĒ IN LATINUM SERMONEM CONVERTAMUS.

ROGATUR, UT MANUSCRIPTA MITTANTUR VIĀ ELECTRONICĀ. MENDA SIVE GRAMMATICA SIVE METRICA, QUOAD FIERI POTEST, TACITĒ TOLLUNTUR.

EN HABES EPISTULAM LEONINAM
SEPTUAGESIMAM QUARTAM (74) !

**LEO LATINUS OMNIBUS HOMINIBUS LATINITATEM AMANTIBUS
SAL.PLUR.DIC. S.V.B.E.E.V.**

Cara Lectrix, Care Lector,

valdê gaudeo, quod hac Nocte Paschali mihi licet Tibi offerre Epistulam Leoninam septuagesimam quartam.

Hac Epistula tibi misi GALEOLOGIAM, i.e. doctrinam mustelae. Quaeris, quem ad finem totam epistulam compleam tantulâ bestiolâ describendâ? Miraberis: Complebo et alteram galeologiâ meâ – tamen multa mihi erunt omittenda delectabilia. Nec desines mirari, quantum valeat mustela ad hominum fidem et mythos et apologos et ad litteras artemque figurativam... Alii hanc bestiolam laudabant propter murium capturam, alii valde timebant supersticiosissimê. Alii tam vehementer praedicabant mustelae audaciam amoremque puritatis, ut facerent symbolum ordinis equitum, cuius verbum scutarium fuit: MĂLO MORI QUAM FOEDARI.

Sanê ridicula nobis hodie videtur opinio Anaxagorae docentis mustelam catulos suos parere ex ore. Ipse iam Aristoteles stupendo cum acumine mentis explicat, quare bonus Anaxagoras in hac re valdê fallatur. Tamen per multa saecula obscura mirus hic partus mustelarum oralis iterum iterumque putabatur revera fieri, immo: nonnulli isti opinioni inconsideratê addiderunt alteram prorsus ineptissimam: contenderunt enim mustelas non solum per ôs parere, sed etiam concipere per ...aures!

De his atque aliis claris et obscuris, nubilis et serenis lege et laetare, cara Lectrix, care Lector, Pace Paschali fruire et pancraticê vale et perge mihi favere!


**Medullitus Te salutat
Nicolaus Groß
LEO LATINUS**



<http://www.leolatinus.com/>

LEO LATINUS

**Senden ex oppidulo Bavariae Suebicae, die Dominico Paschali,
i.e. 20. m.Apr. a.2014**



HERODOTUS

490/480 – 424 a.Chr.n.

ΟΥΔΕΙΣ ΓΑΡ ΟΥΤΩ ΑΝΟΗΤΟΣ ΕΣΤΙ
 ΟΣΤΙΣ ΠΟΛΕΜΟΝ ΠΡΟ ΕΙΡΗΝΗΣ ΑΙΡΕΕΤΑΙ ·
 ΕΝ ΜΕΝ ΓΑΡ ΤΗΙ ΟΙ ΠΑΙΔΕΣ
 ΤΟΥΣ ΠΑΤΕΡΑΣ ΘΑΠΤΟΥΣΙ
 ΕΝ ΤΩΙ ΟΙ ΠΑΤΕΡΕΣ ΤΟΥΣ ΠΑΙΔΑΣ.

HERODOTUS, *Historiae* 1,87,4 (Croesus) οὐδείς γὰρ οὕτω ἀνόητος ἐστὶ ὅστις πόλεμον πρὸ εἰρήνης αἰρέεται· ἐν μὲν γὰρ τῇ οἱ παῖδες τοὺς πατέρας θάπτουσι, ἐν δὲ τῷ οἱ πατέρες τοὺς παῖδας.
 i.e. Latine: Nemo enim tam ineptus est, qui bellum paci praeferat; nam in eâ filii patres sepeliunt, in illo patres filios.

GALEOLOGIA SIVE HISTORIA MUSTELARUM (PARS I)



Mustela nivalis

Ratio systematica

<i>Ordo:</i>	Carnivora
<i>Superfamilia:</i>	Canoidea
<i>Familia:</i>	Mustelidae
<i>Subfamilia:</i>	Mustelinae

Genus: Mustela

Species: nivalis

Nomen scientificum: *Mustela nivalis* Linnaeus, 1766


Mustela nivalis est species mammalium carnivororum, quae pertinet ad familiam *Mustelidarum*. Praeter *Mustelam ermineam* haec species est altera generis Mustelarum europaea.

Notae peculiare

Mustela nivalis est minima bestia ordinis Carnivororum, etiamsi magnitudo corporis huius bestiolae pro regione est valdê varia. Longitudo autem a capite ad truncum extremum mensurata variatur inter 11 et 26 centimetra, caudae longitudo inter 2 et 8 centimetra, corporis pondus inter 25 et 250 gramma. Mustelae nivales Americae septentrionalis generaliter minora sunt quam Eurasiae bestiae huius speciei; illae in patriâ suâ appellantur *Least Weasel* („mustela minima“). Feminae huius speciei sunt minores levioresque quam mares. Pellis autem Mustelae nivalis a pelle Mustelae ermineae differt lineâ mucronatâ, quae interest fusco corpori superiori alboque inferiori; praeterea *Mustela nivalis* ab ermineâ differt fusco colore pedum et caudae, quae est expers cuspidis nigrae.

Mustela nivalis interdum ita ut ermineus hieme ineunte accipit pellem candidam, sed mediâ in Europâ hoc fit rarissimê, e.g. in regionibus, quales sunt Montes „*Nockberge*“ Austriaci aut Lituania.

Mustelae nivales quales regiones incolant



Regiones, quas incolit *Mustela nivalis*

Mustelae nivales vivunt in totâ ferê regione palaeoarticâ et in Americâ septentrionali. Habitationes talium mustelarum porriguntur ab Europâ occidentali usque ad Iaponiam Sinasque necnon (contra ac habitationes mustelarum erminearum) complectuntur etiam regionem mediterraneam et Africae septentrionalem. Non inveniuntur in Hiberniâ et Islandiâ et Insulis arcticis. In Americâ septentrionali Mustelae nivales frequentes

sunt in Alascâ, in totâ ferê Canadâ, in borealibus Civitatibus Unitis. In Neozelandiam haec species introducta est.

Mustelae nivales incolunt varia genera habitationum, e.g. vetereta viridia vinetaque inculta, margines silvarum, prata, pascua. Praecipuê in regionibus, ubi agri coluntur, aestate Mustelae nivales sunt frequentissimae. Quae bestiolae ad movendum et venandum utantur saepibus, fossis incultis, graminibus vetustioribus, marginibus camporum. Eaedem autem vitare solent silvas densiores et loca deserta et montes plus tria milia metrorum altos.

Modus vivendi

Mustelae nivales et die et nocte possunt vagari, sed plerumque sunt unâ tantum parte diei activae. Solent se abdere in plantas densiores, rimas saxorum, stipites arborum cavos, acervos lapidum, cavernas aliarum bestiarum. Nidi mustelarum, qui plerumque antea a muribus inhabitati sunt, obteguntur plantis siccis, pilis aut pennis.

Verisimile est Mustelas nivales extra tempus coeundi vitam degere solitariam. Quae si nutrimentis abundant remanent in sedibus. Mustelae mares solent uti cynegesiis (regionibus venandi), quae sunt amplitudinis 50 hectarearum, feminae minoribus. Limites territorii signant glandularum analium liquore secreto. Mares tempore coeundi (quod est spatium mensium a Martio ad Octobrem) praecipuê solent vivere nomades feminas fecundas quaerentes. Hôc tempore mustelae mares evitant alios mares, sed si in tales incidunt, pugnae fieri possunt vehementes.

Nutrimenta

Devorantur a mustelis nivalibus praecipuê mammalia minora, praesertim rodentia. Structura corporis optimê adaptatae sunt ad mures per cavernas subterraneas venandos. Mustelae nivales necesse est vivant in regionibus, quae sunt certâ frequentiâ quadam murium, sed per breve tempus, pro tempore anni possunt etiam vesci aliis nutrimentis, qualia sunt aves earumque ova, lépöres iuveniles, lacertae. Mustelae cum sint magno metabolismo basali continuo egent nutrimentis.

Nôtum est Mustelas nivales praedari etiam bestias, quae se ipsis sunt multo maiores, e.g. cuniculos. Specta, cara lectrix, care lector, cinematia interretialia, quae sequuntur. En aspice has bestiolas: quam agiles, quam habiles, quam vegetae sunt! Mustelae saltibus suis incredibiliter velocibus videntur miseros cuniculos quadam hypnosi (ut ita dicam) defigere:

<http://www.youtube.com/watch?v=dzYm9LSjCgQ>

<http://www.youtube.com/watch?v=ODEUK5sB5vE>

Saepe mustelae plures bestias necant quam devorare possunt. Solent bestiam captam necare cervice mordendâ.

Quomodo prolem propagent. Quantam aetatem adipiscantur.

Mustelae nivales coire possunt per totum annum, etiam hieme in arcticis regionibus, dummodo nutrimenta sufficiant. Sed maximê prolem propagant vere et aestate exeunte. Sub condicionibus opportunis mustela femina parit bis in anno. Gravida est per 34 vel 37 dies, catulos parit trinos vel maximum denos. Mustelae neonatae sunt perparvulae (pendunt 1,5 gramma) et caecae, post mensem oculos aperiunt, post sesquialterum aut duos menses a mammis disiunguntur. Feminae tantum curant catulos; iidem tribus iam mensibus peractis pubescunt, ut primo iam anno vitae suae possint prolem propagare.

At multae mustelae nivales primo iam anno moriuntur, in rerum naturâ solent adipisci aetatem trium vel quinque annorum. Hostes mustelarum nivalium naturales sunt cum alii tum aves rapaces, ululae, vulpes nec non Mustelae ermineae. Mustelae nivales si captae coluntur, aetatem adipiscuntur summum novem annorum.

Quaenam ratio intercedat inter hominem et Mustelam nivalem.

Cum Mustelae nivales magnam partem vescantur nocivis bestiis rodentibus, homines illis solent favere (nisi sunt superstitiosi). Itaque hae mustelae antiquitus colebantur nonnullasque in insulas atque regiones sunt introductae, quae non spectant ad habitationes mustelarum originales. Venatores contra ac alias species mustelarum nivalem vix venantur. Licet Mustelae nivales hic illic habitationibus destructis rarescant, generaliter non sunt referendae in numerum specierum, quae ne extinguantur periculum est.

A.2013 *Mustela nivalis* declarata est bestia anni praestantissima.

MUSTELA NIVALIS QUIBUS NOMINIBUS APPELLETUR

lat. **mūstēla nivālis**, *gr.* γαλῆ, *ngr.* νυ(μ)φίτσα

fr. **bellette** (*i.e.* *bellula*, *pulchella*), *occitanice* **mostèla**, *picardice* **moutòle**, **moussòle**, *hisp.* **comadreja** (*i.e.* *commatercula*, *matrinula*), *aragonesice* **paniquesa**, *catalanice* **mostela** (*sic!*), *lusitanice* **doninha**, *ital.* **donnola** (*i.e.* *dominula*), *dacoromanice* **nevăstuica**, *sardice* **ana e mele**, **janna 'e muru**, **bucameli**.

angl. **weasel**, *batavice* **wezel**, *theod.* **Wiesel**, *esperantice* **vizelo**
suetice **vessla** *danice* **brud** *norvegice* **snømus**

russice **Ласка** *ucrainice* **Ласиця, ласка мала**, *polonice* **Łasica, Łaska**,
bohemice **lasice kolčava**, *croatice* **lasica**, *bulgarice* **Невестулка**

lituanice **žebenkštis**, *lettonice* **zebiekste**

hungarice **menyét**

finnice **lumikko**

estnice **nirk**

vasconice **erbinudea, satandera, ogigazta**

arabice **راسو**

hebraice **שלגים המום**

turcice **bayağı gelincik**

sinice **伶鼬**

iaponice **イイズナ**

coreanice **쇠족제비**

vietnamice **triết bụng trắng**

Mustela erminea



***Mustela erminea* pelle aestivâ induta.**

Ratio systematica

<i>Ordo:</i>	Carnivora
<i>Superfamilia:</i>	Canoidea
<i>Familia:</i>	Mustelidae
<i>Subfamilia:</i>	Mustelinae
<i>Genus:</i>	<i>Mustela</i>
<i>Species:</i>	erminea

Nomen scientificum

Mustela erminea Linnaeus, 1758

Mustela erminea est species Carnivororum, quae pertinet ad Familiam Mustelidarum. Haec mustela notissima est propter candidam suam pellem hiemalem; eâdem de causâ multum valet etiam ad fabricationem vestium pellicearum industrialem. *Mustela erminea* species est *nivali* et *frenatae* valdê affinis.

Notae peculiare

Ermineae sunt staturâ multorum Mustelidarum typicâ gracili et longitudinali, pedibus brevibus brevique caudâ. Pellem aestivam si gerunt, earum corpus superius est colore fusco, inferius albo. Ermineae autem pellis hiemalis est ex integro coloris candidi, exceptâ caudae cuspidē nigrâ, qua distinguitur a Mustelâ nivali. Talis autem pellis mutatio non omnibus in erminearum habitationibus fit. In regionibus enim calidioribus ermineae per totum annum sunt coloris fusco-albi, in extremâ regione boreali numquam amittunt hiemalem pellem candidam. Caput truncusque harum bestiarum longitudinem habent, quae est inter 17 et 33 centimetra, pondus est inter 40 et 360 gramma. Mares paulo maiores et ponderosiores sunt quam feminae. Mustela erminea post nivalem est minimum animal mammale rapax Germaniae.

Mustelae ermineae quas regiones incolant.



Regiones, quas incolunt Mustelae ermineae.

Mustela erminea frequens est in zonis hemisphaerae septentrionalis temperatis atque subarcticis. Quae bestia regiones Europae inhabitat ex Pyrenaeis et Alpibus et Carpatis versus septentrionem, Asiam borealem centalemque (Iaponiâ inclusâ), partes Terrae Viridis (i.e. Grolandiae), Canadae, Civitatumque Unitarum marginem septentrionalem. Eadem mustela importata est in Neozelandiam Australiamque, ubi effecit grave problema oecologicum.

Mustelae ermineae inhabitant varia genera plāgarum, sed praeferre videntur biótopos prope aquam sitos. Plerumque ibi inveniuntur ubi vivunt *Arvicolae* et *Microti agrestes* et *arvales*. Magni aestimare solent plāgas structuris abundantes, e.g. plāgas pratorum, saepium, arboretorum, hortorum plenas, sed evitant silvas continuas. Mustelae ermineae in altitudinibus vivunt summum 3400 metrorum.

Modus vivendi

Mustelae ermineae agilissimae sunt interdiu et in crepusculo, tempore hiemali praecipuê in crepusculo et nocte. Saepe vicissim fiunt spatia quiescendi longiora (3-5 horarum) et spatia agendi horae singulae. Hae mustelae solent se abdere in rimas saxorum, stipites arborum cavos, acervos lignorum lapidumque aut cavernas aliarum bestiarum relictas.

Saepe eadem in cynegesio suo habent complures nidos, quos vestiunt plantis siccis et pilis aut pennis.

Extra tempus copulandi prolisque educandae Mustelae ermineae vivunt magnis in spatiis actionis (200 summum hectarearum), quae hieme sunt multo minora (duarum minimum hectarearum). Aestate mares saepe cottidie pervagantur regiones 20 hectarearumj, feminae utuntur circiter octo hectareis. Uterque sexus limites cynegesii signat liquore glandularum analium secreto. Si quae mustela erminea in cavernam invadens incidit in alteram ermineam eiusdem sexûs inhabitatricem, plerumque statim discedit, ut evitet pugnam acerrimam.



Mustela erminea pelle aestivâ induta, corpore erecto, duobus pedibus stans.

Quomodo se nutriant venenturque

Mustelae ermineae praecipuê venantur mammalia animalia minora, qualia sunt mures, ratti, cuniculi, sorices, talpae. Si mammalia minora desunt, mustelae devorant etiam aviculas necnon raro reptilia et pisces et insecta. Per totum annum maximê praedantur *Arvicolas* et *Microtos*.

Mustela erminea nutrimenta quaerere solet interdium et in crepusculo maximê usa olfactu et auditu; saepe corpus ita arrigit, ut duobus tantum pedibus stet. Praedam cum indagaverit, mustela celeriter arripit, ex inopinato cervicem mordet, bestiam necatam in cavernam aufert. Prius mustelae ermineae falso putabantur sanguinem sugere bestiarum, quas praedati essent.

Quomodo prolem propagent. Quantam aetatem assequantur.

Ermineae coeunt vere exeunte aut aestate, deinde fit quies germinis, i.e. ovulum fecundatum proximi anni mense martio demum innidatur. Ergo tempus gestationis est unius tantum mensis, et mense Aprili aut Maio nascuntur tres vel summum duodeviginti catuli (solent nasci inter sex et novem). Qui catuli pendunt duo triave gramma, sunt caeci, inopes; a matre tantum, non a patre, curantur defendunturque. Per sex septimanas mammantur; hôc spatio temporis aspectu adultis mustelis fiunt similes. Mustelae feminae post duos tresve menses iam pubescunt, ut primo iam anno vitae suae prolem possint propagare; mares autem aetate unius demum anni pubescunt.

Mustelae ermineae aetatem assequi solent unius tantum vel duorum annorum. Ne fiant longaevae, impediunt multi earum devoratores, quales sunt aves rapaces, ululae, vulpes, taxones. Nisi antea devorantur, mustelae assequi possunt aetatem summum septem annorum.

Multae mustelae ermineae laborant verme parasitico, qui spectat ad phylum Nematodorum. Eius nomen scientificum est *Skrjabingylus nasicola*. Idem vermis e sorice transfertur ad mustelam vivitque primum in eius naso, deinde in cerebrum invadit, ubi efficit, ut hospes moriatur.

Mustelae ermineae et homines <http://www.youtube.com/watch?v=dzYm9LSjCgQ>

Mustela venans http://www.youtube.com/watch?v=U7Y_oMRnAy8



Ecce *Mustela erminea* pelle hiemali induta!

MUSTELA ERMINEA QUIBUS NOMINIBUS APPELLETUR

lat. **Mūstēla ermínea**, *ngr.* **ερμίνα**

fr. **hermine**, *hisp.* **armiño**, *aragonesice* **arminio**, **erminio**, *catalanice* **ermini**, *lusitanice* **arminho**, *ital.* **ermellino**, *dacoromanice*.

angl. **stoat**, **short-tailed weasel**, **ermine**, *batavice* **hermelijn**, *theod.* **Großes Wiesel**, **Kurzschwanzwiesel**, **Hermelin**, *esperantice* **ermeno** *suetice* **hermelin**, **lekatt**, **hermelinkanin** *danice* **lækat**, **hermelin**, *norvegice* **røyskatt**

russice **Горноста́й**, *ucrainice* **Горноста́й**, *polonice* **gronostaj**, *łasica* **gronostaj**, *bohemice* **lasice hranostaj**, *croatice* **hermelin**, *zerdav*, *bulgarice* **Хермелинът**.

lituanice **šermuonėlis**, *lettonice* **sermulis**

hungarice **hermelin**

finnice **kärppä**, *portimo*

estnice **kärp**

vasconice **erbinude zuria**

arabice **قاقم**

hebraice **הרמין**

turcice **kakım**

sinice **白鼬**


iaponice **オコシ**

vietnamice **chòn ermine**

ALFRED EDMUND BREHM »PATER BESTIARUM« DE MUSTELA QUID NARRET¹



Alfred Edmund Brehm
(1829-1884)



Mustela nivalis et *Mustela erminea* pelle aestivâ indutae.
Delineatae sunt naturalis magnitudinis parte tertiâ.

¹ Brehms Thierleben. Allgemeine Kunde des Thierreichs, Zweiter Band, Erste Abtheilung: Säugethiere, Dritter Band: Hufthiere, Seesäugethiere. Leipzig: Verlag des Bibliographischen Instituts, 1883., p.80-87.
<http://www.zeno.org/nid/20007931948>

QUOMODO MUSTELA PUGNAVERIT CONTRA CRICETUM

Lenz nos certiores facit de singulari certamine quodam impari, quod conseruit parvus raptor, quem hîc tractamus: »Mustelae vetustae, quae aliis bestiis iam prorsus saturatus erat, apposui cricetum, qui illam massâ corporis nescio an ter tanto superaverit. Mustela vix malum hostem animadverterat, ante quem stabat tamquam nanus ante gigantem, celerrimê progressa magnâ voce quirîtans prosiluit in adversarii faciem collumque nec prosilire desiit. Cricetus autem surrexit et dentibus arcuit mustelam audacissimam. At subito mustela in cricetum invecta rostrum eius momordit; ambo nunc volutabantur, mustela magnâ voce quirîtans, in campo proelii rubescente. Pugnatores pugnantibus pedibus; modo mustela lëvis superior erat, modo cricetus gravis informisque. Duobus minutis transactis mustela remisit, et cricetus dentibus frendens purgavit nasum suum vulneratum. At is non diu vacavit purgando; nam denuo adfuit parvus hostis audax, et tux! denuo adsedit rostro firmê immorso. Nunc luctati sunt per quadrans horae magno cum fremitu atque quiritatu, celerius se moventes, quam ut clarê viderem, quis esset superior, quis inferior. Interdum audivi stridere ossa morsu divisa. Propter vehementiam, qua mustela se defendebat, et criceti fatigationem mihi videbatur superior esse illa. Tandem mustela remisit, in angulum claudicavit, nate incoxavit; eius pes anterior erat debilitatus, pectus, quod lambere non desinebat, erat sanguine óblîtum.



Mustela nivalis et erminea pellibus hiemalibus indutae.
Delineatae sunt naturalis magnitudinis parte tertiâ.

Cricetus autem alterum angulum possedit, rostrum tumidum purgans anhelabat. Unus ex eius dentibus e rostro dependebat, denique excidit; proelium erat decertatum. Neuter puginator novum impetum facere potuit. Quattuor horis transactis mustela fortis mortua est. Quam accuratê cum perquirerem, nullum prorsus vulnus invêni excepto pectore, quod totum unguibus criceti erat valdê laceratum. Cricetus hostem suum quattuor tantum horis vitâ superavit. Eius rostrum erat contusum, dens exciderat,

duo vacillabant, quartus tantum adhuc erat fixus. Ceterum nullum vidi vulnus, quia mustela semper firmê tenuerat illius rostrum«.

DE MUSTELA CICURATA

»Si paululum lactis manui meae infundo«, Domina inquit, »mustela mea cicur magnam eius copiam bibit; aegrê autem fit, ut mustela guttulam tantum huius sumit liquoris sibi pergrati, nisi eo a me honore afficitur, quod bestiolae praebeo manum meam tamquam pocillum, e quo bibat. Mustela cum se saturavit, ita dormitum. Conclave meum est eius habitaculum solitum, necnon invêni substantias fragrantas, quibus ex integro tollerem bestiolae odorem iniucundum. Interdiu mustela in tomento quodam dormit, in quod scit irrepere; nocte autem in pyxidis lamellatae caveâ servatur; quam custodiam numquam libenter inquit, relinquit semper laetissimê. Cum libertas ei conceditur, antequam ego expergiscor, mustela in lectum meum venit et mille dolis hilariculis nexis repit sub lecti opertorium, ut meâ in manu meumque ad sinum requiescat. At cum mustelâ apparente iam e somno excitata sum, illa dimidiam ferê horam mihi dedicans palpari solet modis maximê variis. Quae digitis meis ludit more catuli, capiti mei cervicique insilit aut nititur circa brachium aut corpus meum tantâ cum facilitate tantoque cum lepôre, quantum in nullâ bestiâ aliâ experta sum. Cum e distantiâ unius metri ante mustelam manum protendo, illa in manum insilit, nec umquam ab eâ aberrans decedit. Haec bestiola ut aliquid sibi propositum assequatur se praebet aptissimam versutissimamque, nec raro videtur id quod est vetitum facere quadam cum voluptate inoboedientiae.

Mustela se movens semper cautê omnia observat, quae fiant. Eadem omnem rimam cavam aspectat seque convertit ad omnem rem, quam animadvertit, ut disquirat. Cum hilariter saliens animadvertit se ab alio observari, statim desinit et plerumque mavult cubitum ire. At ubi primum est resuscitata, statim revigescit et lusûs suos hilares redîntegrat. Illam numquam vidi morosam, nisi inclusa erat aut nimium vexata. Talis cum erat, studebat animum depressum indicare brevi murmure, quae prorsus dissimilis erat illi, quod êdit bene se habens.

Haec bestiola vocem meam distinguere scit a viginti aliis, me mox exquirat et omnes ceteros supersilit, ut me accedat. Mecum ludit amabilissimê mihi que palpatur modo, quem mente fingere non possis. Duobus pediculis suis anterioribus saepe mentum meum mulcet meque aspectat vultu, quo quam optimê exprimat magnam suam laetitiam. Hac ex eius teneritudine milleque aliis rebus faciendis, quibus manifestat me a se praeferrî aliis, pro certo habeo mustelae amorem erga me esse

verum nec putativum. Eadem cum animadvertit me vestimenta induere e domo exitura, me omnino non iam vult relinquere, nec umquam me ab illâ liberare possum nisi magnâ cum difficultate. Qua est calliditate, solet deinde repere in quoddam conclave prope domûs exitum, ut, cum primum praetereo, subito in me insiliat et quoquomodo studeat apud me manere.

Vivacitate, agilitate, habilitate, voce modoque murmurandi mustela simillima est sciuro. Aestate bestiola mea per totam noctem domum percurrit; ineunte autem tempore frigidiore hanc consuetudinem non iam observavi. Mustela nunc videtur calorem desiderare, et saepe sole splendente cum in lēcto meo ludit, se convertit et in sole se consistit et aprīcans paulisper murmurat.

Mustela aquam non bibit nisi caret lacte, et semper cautissimê. Videtur paululo tantum velle refrigerari et liquore aqueo paene terreri; e contrario lac bibit magnâ cum voluptate, sed semper guttulatim¹, nec mihi licet paululo plus huius liquoris illi gratissimi manui meae infundere. Verisimile est eam sub dio eodem more rorem bibere quo apud me bibit lac. Aestate cum pluisset, ei dedi aliquantum aquae pluvialis pocillo impletae invitans, ut se balnearet, sed finem meum non assecuta sum. Deinde lintei laciniam eâdem aquâ umidatam illi proposui; tum mustela per laciniam magnâ cum voluptate huc illuc se volutabat.

Proprietas lepidissimae bestiolae a me cultae extraordinaria est eius curiositas. Fieri prorsus non potest, ut cistam aut capsulam aut pyxidem aperiam, immo chartam aspiciam, nisi mustela mea hanc rem aspectat. Cum eam pellicio, ut eat aliquo, nihil necesse est nisi chartam aliquam aut librum attentê aspectare, deinde mustela subito apud me apparet, manum meam incurrit summâque cum attentione aspectat rem, quam ego aspecto.

Restat, ut ádnotem meam bestiolam libenter ludere cum cattâ iuvenili et cum cane, qui ambo iam admodum magni sint.² Mustela mea nititur per illorum cervīces dorsaque et ascendit per pedês et caudas, nec umquam cattam canemque affecit malo quam minimo.«

Lepidae huius narratiunculae editor denique ádnotat bestiolam praecipuê cibata esse carunculis, quas item libentissimê accipiebat e manu dominae suae ...

¹ *guttulatim (adv.). cfr http://ramminger.userweb.mwn.de/words/start_g.htm **guttulatim**, *adv.* – *tröpfchenweise*: SNELLING *Thib* 1,5 Qui vel per imbres lachrymas fudit pius, | Non guttulatim.

² En vide mustelam cum catta lepide ludentem: <http://www.youtube.com/watch?v=HhZLb-YuvFO>

**DE PROCREATIONE MUSTELARUM FABULOSA
IAM AB ARISTOTELE REFUTATA**

ARISTOTELES, De generatione animalium 3,6,756 b 15.

Ὅμοίως δὲ καὶ περὶ τὴν τῶν ὀρνίθων γένεσιν ἔχει. Εἰσὶ γάρ τινες οἱ λέγουσι κατὰ τὸ στόμα μίγνυσθαι τοὺς τε κόρακας καὶ τὴν ἴβιν, καὶ τῶν τετραπόδων **τίκτειν κατὰ τὸ στόμα τὴν γαλῆν**. Ταῦτα γὰρ καὶ Ἀναξαγόρας καὶ τῶν ἄλλων τινὲς φυσικῶν λέγουσι, λίαν ἀπλῶς καὶ ἀσκέπτως λέγοντες, περὶ μὲν οὖν τῶν ὀρνίθων ἐκ συλλογισμοῦ διαψευδόμενοι τῷ τὴν μὲν ὀρειάν ὀλιγάκις ὀραῖσθαι τὴν τῶν κοράκων, τὴν δὲ τοῖς ὀύγχεσι πρὸς ἄλληλα κοινωνίαν πολλάκις, ἣν πάντα ποιεῖται τὰ κορακῶδη τῶν ὀρνέων· δῆλον δὲ τοῦτο ἐπὶ τῶν τιθασευομένων κολοιῶν. Τὸ δ' αὐτὸ τοῦτο ποιεῖ καὶ τὸ τῶν περιστερῶν γένος· ἀλλὰ διὰ τὸ καὶ ὀχευόμενα φαίνεσθαι, διὰ τοῦτο ταύτης οὐ τετυχήκασι τῆς φήμης. Τὸ δὲ κορακῶδες γένος οὐκ ἔστιν ἀφροδισιαστικόν (ἔστι γὰρ τῶν ὀλιγογόνων), ἐπῶπται δ' ἤδη καὶ τοῦτο ὀχευόμενον. Τὸ δὲ δὴ μὴ συλλογίζεσθαι πῶς εἰς τὰς ὑστέρας ἀφικνεῖται τὸ σπέρμα διὰ τῆς κοιλίας πεττούσης ἀεὶ τὸ ἐγγινόμενον, καθάπερ τὴν τροφήν, ἀτοπον. Ὑστέρας δ' ἔχουσι καὶ ταῦτα τὰ ὀρνεα, καὶ ὡς φαίνεται πρὸς τοῖς ὑποζώμασιν. Καὶ ἡ γαλῆ, καθάπερ τᾶλλα τετράποδα, τὸν αὐτὸν τρόπον ἔχει ἐκείνοις τὰς ὑστέρας· ἐξ ὧν εἰς τὸ στόμα πῆ βαδιεῖται τὸ ἔμβρυον; Ἀλλὰ διὰ τὸ τίκτειν πάμπαν μικρὰ **τὴν γαλῆν**, καθάπερ καὶ τᾶλλα τὰ σχιζόποδα, περὶ ὧν ὑστερον ἐροῦμεν, **τῷ δὲ στόματι πολλάκις μεταφέρειν τοὺς νεοττούς, ταύτην πεποίηκε τὴν δόξαν**.

Similiter quoque se habet avium generatio. Sunt enim, qui dicant corvos et ibes commisceri per ôs, et animalium quadrupedum esse mustelam, quae pariat per ôs. Haec enim Anaxagoras et quidam aliorum physicorum dicunt, nimis simpliciter atque inconsiderate dicentes, quoad aves falso concludentes ex eo, quod coire raro videntur corvi, rostra inter se conserere saepe, ut solent facere omnes aves generis corvini. Hoc apparet ex monedulis, quae cicurantur. Sed idem facit etiam genus columbarum. At quia apparet columbas inter se coire, eadem hanc famam non consecutae sunt. Genus autem corvinum non est salacissimum (est enim progeniei rarioris), tamen hoc quoque iam visum est coire. Alienum autem est non considerare, quomodo semen ad uteros

adveniat per stomachum, quo semper concoquatur res recepta, velut cibus. Uteros autem habent etiam hae aves, et ova apparent prope saeptum transversum. Et **mustela**, sicut alia animalia quadrupeda, eodem modo quam illae habet uteros. Ex iis autem quonam modo embryo perveniat in ôs? Sed **quia mustela parit catulos omnino parvos**, ut etiam alia animalia fissipeda, de quibus postea dicemus, et **ore saepe catulos transportat, haec fama exorta est.**

PLUTARCHUS, De Iside et Osiride 74

βοῦν μὲν οὖν καὶ πρόβατον καὶ ἰχνεύμονα δῆλον ὅτι χρείας ἔνεκα καὶ ὠφελείας ἐτίμησαν, ... ἀσπίδα δὲ καὶ γαλῆν καὶ κάνθαρον, εἰκόνας τινὰς ἐν αὐτοῖς ἀμαυρὰς ὥσπερ ἐν σταγόσιν ἡλίου τῆς τῶν θεῶν δυνάμεως κατιδόντες: τὴν μὲν γὰρ γαλῆν ἔτι πολλοὶ νομίζουσι καὶ λέγουσι κατὰ τὸ οὖς ὀχευομένην, τῷ δὲ στόματι τίκτουσαν, εἴκασμα τῆς τοῦ λόγου γενέσεως εἶναι: ...

Apparet (sc Aegyptios) venerari bovem et ovem et ichneumonem propter eorum usum et utilitatem, ... aspidem et **mustelam** et scarabaeum, cum in iisdem aliquas imagines aspectent obscuras numinum deorum, sicut (imagines) solis (aspectant) in guttis aquae: **mustelam** enim adhuc multi putant et dicunt per aures coeuntem, per ôs parientem, imaginem esse originis loquelae...

AELIANUS, De natura animalium 12,5

Αἰγύπτιοι μὲν οὖν σέβοντές τε καὶ ἐκθεοῦντες γένη ζώων διάφορα γέλωτα ὀφλισκάνουσι παρὰ γε τοῖς πολλοῖς: Θηβαῖοι δὲ σέβουσιν Ἕλληνες ὄντες ὡς ἀκούω γαλῆν, καὶ λέγουσὶ γε Ἡρακλέους αὐτὴν γενέσθαι τροφόν, ἢ τροφόν μὲν οὐδαμῶς, καθημένης δὲ ἐπ' ὠδίσι τῆς Ἀλκμήνης καὶ τεκεῖν οὐ δυναμένης, τὴν δὲ παραδραμεῖν καὶ τοὺς τῶν ὠδίνων λῦσαι δεσμούς, καὶ προελθεῖν τὸν Ἡρακλέα καὶ ἔρπειν ἤδη.

CLAUDIUS AELIANUS, De natura animalium.

Opus Graece scriptum, a Friderico Jacobs in Latinum conversum. Editum apud Fridericum Fromannum, Jenae, MDCCCXXXII.

5 Aegyptii quod diversa animalium genera in deos referunt, et diversimode colant, multiplex risus eos consequitur. At Thebani, natione quidem Graeci, ... **mustelam**, ut audio, religiosè venerentur, et dicant Herculis hanc nutricem fuisse; vel non fuisse quidem nutricem, sed cum Herculem Alcmena parturiret, et parere non posset, hanc

praetercurrentem partûs vincula dissolvisse; eoque esse factum, in lucem ut Hercules exiret, et jamjam natus reptaret.

Benjamin Hederich (1675-1748)

At nihil est nisi mente fictum mustelas aut cattas parere per ôs. Verisimile est hanc rem hac tantum de causâ esse fictum, quod tales bestiae catulos suos interdiu decies ferê rostris apprehensos ab uno loco ad alium ferre solent (Thomas Farnabius ad locum).¹

Alfred Edmund Brehm (1829-1884)

Hîc illîc multi adhuc opinantur mustelam catulos suos ex ore parere, propter id quidem, quod saepe apparet mustelam matrem catulos transferre ab uno loco ad alium; forte fortunâ id videntibus in mentem non incidit catta domestica, quam clarê patet ïdem facere.²

HAEC TESTIMONIA COLLECTA (EXCEPTO AELIANI)

IN LATINUM CONVERTIT

NICOLAUS GROSS



LEO LATINUS

<http://www.leolatinus.com/>

¹ Benjamin Hederich, Gründliches mythologisches Lexikon, Leipzig 1770, p.1136:

„Indessen ist es ein bloßes Gedicht (sic!), daß die Wiesel, oder die Katzen, durch das Maul gebären sollen. Vermuthlich ist man nur auf dieß Vorgeben gekommen, weil solche Thiere ihre Jungen des Tages wohl zehnmal in den Mäulern von einem Orte zu dem andern schleppen. (Thomas Farnab.(ius) ad l.c.“

² Brehms Thierleben. Allgemeine Kunde des Thierreichs, Zweiter Band, Erste Abtheilung: Säugethiere, Dritter Band: Hufthiere, Seesäugethiere. Leipzig: Verlag des Bibliographischen Instituts, 1883, p.86. <http://www.zeno.org/nid/20007931948>: „Unter vielen ist noch hier und da die Meinung verbreitet, daß das Wiesel seine Jungen aus dem Munde gebäre, jedenfalls deshalb, weil man die Mutter oft ihre Jungen von einem Orte zum anderen tragen sieht und dabei zufällig nicht an die Hauskatze denkt, welche doch genau dasselbe thut.“

DE GALINTHIADE SIVE GALANTHIDE¹



ALCMENA HERCULEM PEPERIT

Pinxit Jean Jacques François Le Barbier
(1738-1826)

Galinthias (graecê Γαλινθιάς), quae ab Ovidio appellatur Galanthis (Γαλανθίς), in mytho graeco fuit ancilla Alcmeneae, quae industria atque oboedientia ei erat gratissima. Alcmene Herculem parturiens cum per septem iam dies septemque noctes dolores vehementissimos pati non desineret, sed Lucina (Ἐιλείθυια) nihil faceret nisi ante ianuam in ara sederet genua brachiis decussatis circumplexa ideoque partum impediret, Galinthias suspicata est Iunonem aemulam hoc impedimentum effecisse. Itaque ancilla fidelis dolum nectens Lucinae dixit, ut illa, quaecumque esset, dominae gratularetur, nam illam modo puerum peperisse.

¹ <http://de.wikipedia.org/wiki/Galinthias> Symbolam Wikipedianam in Latinum convertit Nicolaus Groß.

Tum Lucina territa prosiluit bracchia decussata solvens, ut et solveretur nodus magicus, quo impeditus erat partus. Fama fert Galinthiadem Hercule nato Lucinam deceptam irrisisse. Tum ancillam a dea correptam, in pavementum suppressam, in mustelam (*γαλῆ*) aut in ichneumonem mutatam esse. Necnon id constituisse, ut Galinthias, quia ore suo mendaci parturienti adfuisset, suos infantes in futurum ipso ore pareret. - Hecata (*Ἑκάτη*) autem Galinthiadis miserita eam fecit suam ministram sacram.

Hercules Galinthiadem matri suae benefecisse postea recordatus imaginem illius obstetricis clementis iuxta domum collocavit illique sacrificavit. Thebani cum hac vidissent, postea in sollemnibus Herculeis primo sacra faciebant in honorem Galinthiadis.



Galanthis Lucinam deam mendacio fallens, ut Alcmenem dominam servet parturientem

ALCMENE MATER HERCULIS NARRAT

CUR GALANTHIS IN MUSTELAM MUTATA SIT

(OVIDIUS, *Metamorphoses* IX 273-323)

Sensit Atlas pondus. neque adhuc Stheneleius iras solverat Eurystheus, odiumque in prole paternum exercebat atrox. at longis anxia curis	275
Argolis Alcmene, questus ubi ponat aniles, cui referat nati testatos orbe labores, cuive suos casus, lolen habet. Herculis illam imperiiis thalamoque animoque receperat Hyllus, inpleratque uterum generoso semine; cui sic	280
incipit Alcmene: 'faveant tibi numina saltem, conripiantque moras tum cum matura vocabis praepositam timidis parientibus Ilithyiam, quam mihi difficilem lunonis gratia fecit. namque laboriferi cum iam natalis adesset	285
Herculis et decimum premeretur sidere signum, tendebat gravitas uterum mihi, quodque ferebam, tantum erat, ut posses auctorem dicere tecti ponderis esse lovem. nec iam tolerare labores ulterius poteram. quin nunc quoque frigidus artus,	290
dum loquor, horror habet, parsque est meminisse doloris. septem ego per noctes, totidem cruciata diebus, fessa malis, tendensque ad caelum bracchia, magno Lucinam Nixosque pares clamore vocabam.	
illa quidem venit, sed praecorrupta, meumque quae donare caput lunoni vellet iniquae.	295
utque meos audit gemitus, subsedit in illa ante fores ara, dextroque a poplite laevum pressa genu et digitis inter se pectine iunctis sustinuit partus. tacita quoque carmina voce	300
dixit, et inceptos tenuerunt carmina partus. nitor, et ingrato facio convicia demens vana lovi, cupioque mori, moturaque duros verba queror silices. matres Cadmeides adsunt, votaque suscipiunt, exhortanturque dolentem.	305
una ministrarum, media de plebe, Galanthis, flava comas, aderat, faciendis strenua iussis, officiis dilecta suis. ea sensit iniqua nescio quid lunone geri, dumque exit et intrat saepe fores, divam residentem vidit in ara	310

bracchiaque in genibus digitis conexa tenentem,
 et "quaecumque es," ait "dominae gratare. levata est
 Argolis Alcmene, potiturque puerpera voto."

exsiluit, iunctasque manus pavefacta remisit
 diva potens uteri: vinculis levor ipsa remissis.

315

numine decepto risisse Galanthis fama est.

ridentem prensamque ipsis dea saeva capillis

trahit, et e terra corpus relevare volentem

arcuit, inque pedes mutavit brachia primos.

strenuitas antiqua manet; nec terga colorem

320

amisere suum: forma est diversa priori.

quae quia mendaci parientem iuverat ore,

ore parit nostrasque domos, ut et ante, frequentat.'



.....

TESTIMONIA ANTIQUA

OVIDIUS, *Metamorphoses* 9,281 sqq.

ANTONIUS LIBERALIS, *Metamorphoses* 20; 29

AELIANUS, *De natura animalium* 12,5

PAUSANIAS, *Descriptio Graeciae* 9. 11. 3



Lucina dea Galanthidem mutat in mustelam!

VOTA PASCHALIA



CARA LECTRIX, CARE LECTOR,

LEO LATINUS

IN SOLLEMNIA PASCHALIA

TIBI OPTIMA QUAEQUE EXOPTAT.



<http://www.leolatinus.com/>

**HANC EPISTULAM LEONINAM
SEPTUAGESIMAM QUARTAM**

SENDEN IN OPPIDULO BAVARIAE SUEBICAE PERFECIT

Nocte Paschali, d.20. m.Apr. a.2014

Nicolaus Groß

LEO LATINUS



<http://www.leolatinus.com/>